

Christian Dreier Nathan Cunovius

Disputatio Philosophica De Natura & proprietatibus Angelorum

Rostochii: Richelius, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729454886>

Druck Freier  Zugang



Ru mic 7634
Christian Freier
Nathan Cunow



21

Disputatio Philosophica
De
Natura & proprietatibus
ANGELORUM,
quæ
favente Deo
ex Consensu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

PRÆSIDE
M. CHRISTIANO DREIERO
Stetin, Pomer.

RESPONDENTE
NATHAN CUNOVIO
Stargard. Pomer.

Examinanda publicè proponitur
ad diem 17 Decemb. in Auditorio majori
horis matutinis.



ROSTOCHII,

Typis hæredum Richelianorum, Anno c^lo I^o c xxxiv.

D. Johann Philofophus

De

Natur & proprietatibus

A N T I Q U I T A T I S

per

Joannem

ex Gott.

Amplius Facultatis Philosophiae

in

M. CHRISTIANO DELETO

Secundum

Methodum

NATHAN CHUNOVIO

Secundum

Methodum

ad diem 17 Decembris in Auditorio majori

habeantur



ROSTOCKI

Typis haereditariis Rostochensibus Anno 1723

Cognitionem Angelorum, in quam natura nos ducit, multis obstructam esse difficultatibus, satis, ut reor, manifestum est. Unde gentiles, si quando hanc materiam declarare voluerunt, densas potius ei tenebras offuderunt: Quod abundè cognosceret, qui eorum super hac re sententiam diligenter expenderit. Hinc quoq; factum est, ut multi de hac Angelorum notitia satis perplexè & obscurè disputârint, tametsi etiam multi egregiè & accuratè de illa differuerunt. Eam ob causam animum induximus præcipua, quæ ad explicationem hujus rei faciunt, brevi percurrere. Ita verò hanc doctrinam dispertire solent, ut primùm de natura, dehinc de proprietatibus, & deniq; de operationibus Angelorum agant. Nos, cum una disputatione omnia profèqui non possimus, hac vice quædam de natura & proprietatibus Angelorum proponemus.

T H E S I S I.

Nomen Angelorum multis evolvere nihil opus est, modo constet, eo denotari substantias spirituales finitas completas. Illud verò ratione officii ipsis inditum esse, ostendunt Theologi; quanquam etiam gentiles istud non omnino ignorarunt. Noverunt enim, Deum his substantiis tanquam legatis & internunciis uti: Unde quosdam etiam illas angelos vocasse, notat Ludov. Vives *super August. de Civit. Dei lib. 9. c. 19.* Philosophi eas ab intelligendo intelligentias & mentes appellare consueverunt: Sic & dæmones nominatæ sunt, quæ vox Platonicis præsertim in usu fuit, ut apud Plotinum & Cælium Rhodiginum passim videre est.

2. Dum ad rem ipsam explicandam ingredimur, initio, quod
sunt Angeli, ostendendum est: Id verò non solum sacrae literae abun-
dè probant, verùm etiam idem oppidò multi rationibus ex natura
desumptis confirmant & demonstrant, eos esse posse & actu esse in
rerum natura. Primò satis evidenter demonstrari potest, Angelos
esse creaturas possibles, seu eos posse in hoc universo existere. Nul-
lam enim id repugnantiam involvit neq; ex parte effecti nempe An-
gelorum, neq; ex parte causae efficientis. Quia esse substantiam im-
materialem completam, intelligentem, finitam, non excedit limites
creaturae, cum talia praedicata non excludant dependentiam à prima
causa. Hinc neq; id superat potentiam causae efficientis, quippe quae
est virtutis infinitae Deus bonitate optimus, potentia maximus.

3. Hoc ipsum ulterius probari potest: Nam cum detur sub-
stantia immaterialis intelligens incompleta nempe anima rationalis,
non obscure sequitur, quod immaterialis intelligens completa existe-
re possit. Quia in anima rationali est inchoatus ordo substantiae im-
materialis intelligentis, quae extra corpus subsistere potest: Unde
possibile est, illum ordinem compleri, ut dentur substantiae tales om-
nino immateriales ac independentes à corpore. Si enim non repu-
gnat, immaterialem & intelligentem esse substantiam minus perfe-
ctam, multo minus repugnat esse talem gradum perfectionis in sub-
stantia perfectiori & completa.

4. Secundo, quod actu sint tales substantiae in hoc universo,
rationibus ex natura petitis confirmare difficile est. Nihilominus
gentiles in earum cognitionem pervenerunt; cuius rei testes sunt
Plato passim in suis oper. Plotinus in *Ennead.* & Aristoteles lib. 12. *Me-
taph. cap. 6. & seq.*, qui tamen infirmum suae sententiae fundamen-
tum ponit ex motu coeli desumptum, quamvis in eo stabiliendo Je-
suitae Comibricenses, Perreus & Suarez operae plurimum consu-
mant: qua de re disputatur in *Physicis.*

5. Rationem quandam nobis suppeditat Thomas 1. *part.*
quest. 50. art. 1. quae talis est: Hoc universum est perfectum, non qui-
dem hac ratione, ut nulla ipsi desit creatura vel species creaturarum,
sed ut contineat omnes gradus essendi, qui sunt actu & potentia finiti,

ut

ut notat Cajetanus in Thom loc. cit. Ergo continet etiam creaturam intellectualem incorpoream. Antecedens patet: Quia perfecta causa perfectum producit effectum eumque sibi assimilat, quoad fieri potest. Consequentia probatur: Quia tales substantiæ sunt quam maximè similes Deo & gradum perfectiorem reliquis creaturis constituunt, siquidem Deo assimilantur quoad intellectum & voluntatem & præterea immateriales sunt: Unde maximè ad perfectionem universi pertinent.

6. Hoc argumentum magni facit Suarez *disp. 25. sect. 1. num. 8.* qui illud discursum efficacissimum & maximè à priori esse dicit. Verùm rectè Petrus Hurtadus de Mendoza *disp. 12. Metaph. sect. 2. §. 9.* conjecturam id esse asserit, non argumentum efficace. Etenim si nolisset Deus Angelos creare, voluntas ipsi causa sufficiens fuisset. Nulla enim creatura indiget, sed ex liberrima voluntate mundum condidit; nemo hinc necessitatem comminiscatur. Unde licet in Angelis perfectior similitudo sit, quæ Deum referat, quam in aliis creaturis, tamen si nolisset eos esse, potuisset sane Angelos non creare. Talis enim similitudo voluntati divinæ nihil præscribere potest.

7. Firmior videtur esse ratio, quæ sumitur ab effectibus. Dantur enim effectus Angelorum: Ergo etiam ipsi Angeli sunt in rerum natura. Consequentia est manifesta: Effectus enim requirit causam efficientem existentem, à qua producat. Antecedens probatur: Quia compertum est, homines abreptos & obsessos peregrinas linguas calluisse & tantum roboris habuisse, ut catenas confringere, & opera supra vires humanas præstare potuerint. At verò tales effectus nulli alii causæ præter substantias hæc intelligentes adscribi possunt.

8. Obvertere quis posset, ejusmodi effectus vel ab ipso homine obsesso, vel ab anima quadam separata, vel à Deo immediate originem habere. Sed primum asserere non convenit: Quia obsessi haud rarò sunt idiotæ & ignari exoticæ sermonis, neque id præstare possunt ex propriis viribus quod vires humanas plane superat. Secundum item assumere non licet: Nulla enim ratio est, quæ persuadeat, animum separatim in alio corpore loqui & tales actus exercere, aut

exercere posse. Tertio Deo tales effectus tribuere religio est, cum homines obsessi nonnunquam blasphemias evomere ac alios mendaciis deludere soleant. Sunt igitur substantiæ quædam intelligentes præter animas humanas & Deum, quæ hujusmodi opera in corporibus hominum efficiant. Atq; sic non tantum potentia, sed & actu Angelos esse, planum fecimus.

9. Ulterius si progrediamur & quid sint Angeli dispiciamus, imprimis notandum est, aliam esse cognitionem quidditativam aliam quidditatis: illam vocant Scholastici & Philosophi notitiam, per quam de re quadam omnia prædicata quidditativa usq; ad ultimam differentiam positivo & proprio conceptu cognoscuntur; hæc verò est, per quam rei alicujus quidditas aliquo modo præsertim per conceptus negativos aut connotativos vel confusos manifestatur.

10. His positis statuimus primò, non posse nos in hac vita Angelos quidditative cognoscere; quæ ferè communis est sententia. Etenim cognitio nostra est vel immediata, quæ fit per speciem rei cognitæ, vel mediata, quæ per discursum acquiritur, atq; hoc modo ut plurimum ex effectibus colligimus proprietates causæ. Sed neutrà viâ licet nobis pervenire ad quidditativam Angelorum cognitionem. Destituimur enim ejusmodi speciebus, quæ illam in nobis cognitionem gignant: Quia neq; nobis sunt innatæ, neq; à sensibus vel aliunde animo communicantur, cum res materiales non possint in nobis efficere species rerum spiritualium, ut in se sunt. Quare nec est effectus, qui nos in quidditativam cognitionem ducat: Quia ex effectibus parum colligere possumus præter id, quod omnibus entibus, vel substantiis finitis, vel substantiis incorporeis commune est, idq; per conceptus negativos, connotativos & confusos exprimimus.

11. Secundò asserimus, posse nos in hac vita quidditatem Angelorum cognoscere. Continentur enim sub adæquato objecto intellectus, siquidem sunt entia & sub conceptu entis, substantiæ spiritualis, completæ, finitæ à nobis cognoscuntur; qui conceptus sunt de quidditate Angelorum.

12. Quapropter non dubium est, quin Angeli sint primò entia realia, cum sint extra nihil & revera existant in hoc universo; secundò sub-

Substantiæ, siquidem per se subsistunt & sunt intellectu ac voluntate atq; aliis proprietatibus præditi, quales substantiis tantum conveniunt; tertio spiritus, quia sunt immateriales & incorporei, quod postea clarius patecet.

13. Hinc etiam de essentia Angeli est intellectualis natura; quod operosa probatione non eget, cum ipsum nomen intelligentiarum, quas esse in universo probavimus, hujus rei non obscurum sit indicium. Item Angelos talia opera præstitisse, experientia testis est, qualia non nisi à principio intelligente proficisci possunt: nec sapientiores Ethnici hanc rem unquam in dubium vocarunt *vid. Arist. l. 12. Metaph. cap. 7.* Sed hæc ut & quæ voluntatem Angelicam spectant declarantur in doctrina de actibus Angelorum uberius.

14. Deinde non solum sunt substantiæ intellectuales, sed etiam completæ; quia non sunt partes alterius nec cum alio ente constituunt unum compositum per se quemadmodum anima & corpus, sed sine compositione cum alia substantia absolunt certam speciem; atq; sic distinguuntur ab anima rationali.

15. Deniq; sunt finiti, & hoc modo distinguuntur à Deo. Distinguuntur autem finiti non secundum quantitatem, cum sint immateriales, sed quoad essentiam & perfectiones. Hoc non inviti concedent Platonici, siquidem, ut ostendit Cælius Rhodig. *lect. ant. lib. 2. cap. 24.* rerum opificem esse dicunt parentem & principem etiam deorum immortalium, quo nomine Angelos appellant. Aristoteles verò quid hæc in parte senserit, non adeò manifestum est: Videtur sane ex infinito cæli motu colligere motores esse infinitos ac entia necessaria *lib. 12. Metaph. cap. 7.* Verùm alibi rectius loquitur: Unde non pauci id maxime operam dant, qui cum excusare possint.

16. Quicquid sit, unum tantum potest esse ens independent & absolute necessarium: Quia absoluta essendi necessitas non potest essentialiter convenire, nisi rei singulari. Implicat enim existentiam in essentia, quæ proinde per diversas quasi existentias multiplicari non potest, nec ejusdem ullum ens particeps est, nisi sit hoc ipsum unum ens, quod est suam esse, ut alibi fusè demonstratur. Hinc omne,

enne, quod est in universo, ab hoc ente pendeat atq; sic finitum in essentia & perfectione sit oportet. Quare cum & Angeli sint entia, quod essentiam ab hoc ente supremo & necessario habeant, in aperto est. Hæc de conceptu primo Angeli; ad conceptus secundos seu proprietates pergamus

17. In *proprietas* explicatione potissimum considerari solet simplicitas, ubi, duratio, multitudo, diversitas seu distinctio. Primum attendendum, quomodo Angeli sint simplices. Simplex autem id dicitur, quod caret compositione. Verum cum duplex potissimum sit compositio, Metaphysica & Physica, sciendum est, simplicitatem Angelorum non excludere compositionem Metaphysicam. Etenim Angeli non habent esse ex se, sed per participationem ab alio. Unde non repugnat illis esse in potentia, ut & compositio ex actu & potentia, genere & differentia, natura & supposito: Quia æquè ac aliæ creaturæ indifferenter se habent ad subsistendum in supposito proprio & alieno, ad esse & non esse, quantum ad potentiam Dei absolutam: His igitur diu immorari nihil opus est.

18. Compositionem ex subjecto & accidente Angelis non repugnare itidem inde constat, quia sunt finitæ perfectionis, Quare nihil obstat, quin per accidentia superaddita perfectiores & ad operandum aptiores reddi queant. Qualia verò illa accidentia sint, quæ actu habeant, alibi docetur. Suarez *disp. 31. sect. 13. num. 26.* hac ratione utitur: Quia sunt finiti, necessario habent definitum locum, seu ubi, vel localem præsentiam, secundum quam mutari possunt: Hanc, sequitur, distinctam esse ab Angelis & cum iis compositionem facere

19. Quamvis igitur hac ratione Angeli sint compositi, nihilominus ita sunt simplices, ut nullam admittant compositionem Physicam. Sub hac verò continetur compositio ex materia & forma & deinde ex partibus integrantibus seu quantitativis. Primam compositionem quod attinet, ea philosophis satis negotii fassenit. Nam ferè pleriq; ex veteribus, Angelos materiales & corporeos esse statuerunt. Platonici Dæmones corpora habere aperte docent, ut videre est apud Apulejum *in lib. de Deo Socr.* Plotinum *Ennead. 3. lib. 5. num. 6.*

num. 6. & Marf. Ficinum in *praf. ibid. Cal. Rhodig. lect. ant. lib. 1. c. 26.* Sic Patres quidam interdum in sententiam Platoniorum ire videntur, præsertim Augustinus in quibusdam locis suorū operum, idq. Lud. Vives ad lib. 15. C. D. cap. 23. certius esse, notat, quàm ut pluribus ostendi debeat. Eandem sententiam defendit Zanchius *part. 1. de oper. sex dierum lib. 2. cap. 3.* contra Aristoteles lib. 12. *Metaphys. cap. 6.* intelligentias à materia separatas esse propugnans: sic & Dionysius de *divin. nom. cap. 4.* quem ferè communiter sequuntur Scholastici.

20. Cæterùm ut hæc res explicetur & sententia Patrum magis declaretur notandum est, corporeum aliquid dici primò ut opponitur *Πανσιμαλι*; deinde quatenus opponitur enti necessario & prorsus immutabili; deniq. ut opponitur spiritui & sic denotat substantiam, quæ materiam & formam habet. Prioribus duobus modis appellantur Angeli nonnunquam corporei inprimis à Patribus: Verùm in posteriori sensu eos corporeos esse negamus.

21. Rationem probabilem hanc afferimus. Angelis neq. simile, neq. dissimilare corpus tribui potest: Ergo nulla prorsus habent corpora. Consequentia patet. Quia nullum datur aliud corpus, quandoquidem id secari vel dividi potest in partes vel ejusdem naturæ, simplices seu similes; vel naturæ diversæ, compositas seu dissimiles *Arist. lib. 1. de hist. anim. cap. 1.* Antecedens declaratur: Similare corpus non habent, cum hoc ad operationes vitales exercendas non sit habile, quippe quæ requirunt membra organica; sed idem corpus planè simile & organicum esse non potest. Item hujusmodi corpus, quamvis subtile esset, tamen haberet quantitatem, quæ proinde illos maximè impediret in operationibus & motu, ut alia corpora penetrare non possent. Deinde nec dissimilare corpus habent Angeli; quia hoc modo essent compositi ex rebus diversis, naturæ corruptibiles atq. sic inferioris conditionis, quàm anima rationalis. Præterea multo magis tale corpus ipsis impedimento foret in actibus & motu, ut in quocunq. loco vellent, haud possent comparere ob alterius corporis obstaculum.

22. Cum igitur Angeli sint incorporei, hinc non malè colligit

B

Suarez

Suárez *disp. 13. sect. 14. num. 14.* eos nullam aliam propriè dictam materiam habere, qualiscunq; illa fingatur. Nam talis materia incorporea plane inutilis est Angelo. Non enim ea indiget, ut sit, cum forma incorporea per se subsistere possit; neq; ut moveatur localiter, quia motus recipi potest in quacunq; re finita & determinatum ubi habente, siue sit composita siue simplex; nec alia operatio in Angelis dari potest, cui talis materia deserviat & quæ per solam formam non commodius exerceatur. Sunt igitur Angeli ab omni materiæ commercio liberi.

23. Secundò Angeli non sunt compositi ex partibus quantitativis. Ceterùm nonnunquam usu venit, ut quantitas denotet terminos essentiæ: Speciatim verò ac propriè quantitatem prædicamentalem, quæ cum materia conjuncta est, designat. Priori modo quantitas Angelis tribui solet, cum non sint infiniti, sed essentiæ terminos habeant: Unde etiam in spacio divisibili & quanto existere, ac illi toti essentialem suam præsentiam exhibere possunt. Posteriori modo partes quantitativæ Angelis non competunt. Nam cum illæ sequantur compositionem ex materia & forma, Angeli autem omnis materiæ sint expertes, quis quantitatem in ipsis locum habere censeat? Atq; sic perspicuum est, quo pacto Angeli sint simplices.

24. Ad ubi explicandum devenimus, cujus descriptionem & mutationem paucis delineare operæ pretium est. Tribus modis ens quoddam alicubi esse, vulgò dicitur: Primùm repletivè, quod in nullo determinato & finito loco esse potest, sed ubiq; præsens est; & tale ens unum est immensus Deus: deinde circumscriptivè atq; talis præsentia modus convenit corporibus quantitate circumscriptis: Illa verò cum Angeli non habeant, hac ratione in loco esse non possunt: deniq; definitivè, quo pacto ens secundum definitionem & terminationem essentiæ suæ est in certo ac determinato ubi, ita ut sit totum in toto & totum in qualibet parte. Quare sic Angelum esse alicubi, ipsa rei explicatio evincit. Nam cum sit finitus, etiam modum præsentia hæbet finitum, ut in determinato loco præsens sit; cum autem sit incorporeus, est totus in toto spacio & totus in qualibet parte.

Verùm

27. Verùm ut rectius percipiatur, quomodo Angelus sit in
quavis parte totus, non cogitandum est, cum secundum quantitatem
seu imaginariam suam, ut loquuntur, extensionem sic præsentem
esse, cum ea ratione tantùm sit in toto spacio totus, sed de substantia
& substantialibus proprietatibus seu perfectionibus id intelligendum
venit, quod nempe secundum illas ita sit in loco, ut nihil ad essentiam
& perfectionem Angeli pertinens assignari possit in una parte spacijs
quod non æquè in alia parte reperitur.

26. Hinc patescit, majorem mereri applausum sententiam
Scoti in 2. sentent. dist. 2. quest. 9. afferentis, Angelos esse in loco per
præsentiam substantialem; quàm aliorum, qui per operationem ex-
ternam eos alicubi esse contendunt, quæ opinio tribui solet Thomæ
2. p. q. 52, art. 2. tametsi ipsius mentem alii aliter explicant. Ra-
tio nostræ assertionis est: Quia alias non essent loco mutabiles, ut re-
ctè observat Hurtadus *disp. 12. Met. f. 6. §. 53.* Nam operatio exter-
na extrinsecam tantum denominationem in Angelis ponit: si verò
per extrinsecam denominationem sunt alicubi, sunt immutabiles in
loco. Mutari enim intrinsecè denominat, ac ipsum ubi Angelicum
denotat intrinsecum modum in ipso Angelo existentem.

27. Ex eodem falso principio fluxit, quod quidam negant,
Angelos plures posse in uno loco esse, quod tamen negari non debet,
cum res una excludat aliam ex quodam loco per quantitatem, quæ
ponit partem extra partem & penetrationi obstitit. Angeli verò non
habent quantitatem. Quare nihil impedit, quò minus plures sint in
uno loco, sicut & nullam involvit repugnantiam, Angelum per con-
tractionem quasi essentiæ existere in ubi quodam indivisibili,

28. Potrò mutationem ubi quod concernit, Aristoteles non
semel has substantias immobiles esse dicit præcipuè 12. *Metaph. c. 8.*
Suarez hanc rationem addit, quod fortasse veritus fuerit, ne, si quando
eveniret, ut ab orbibus discederent, difformis motus existeret Sed
oppositum omninò defendendum est præsertim, cum illud scriptura
evidenter doceat: Idq; ut in lucem protrahamus, notari volumus,
quod aliquid dicatur immobile dupliciter, primò si sit immensum;
sum enim hoc pacto sit ubiq;, quò locum mutare posset? secundò si

Et affixum & quasi alligatum uni loco, ut illum deserere nunquam possit. Prius modo Angeli non sunt immobiles, cum præter Deum nullum sit ens infinitum & immensum; neq; posteriori modo. Id enim maximæ est imperfectionis, quæ ne animalibus quidem convenit: At Angeli procul dubio sunt perfectiores animalibus. Hinc ergo constat. Angelos nequaquam immobiles esse, sed de uno ubi in aliud transire posse.

29. Nemo autem motum physicum Angelis tribui arbitretur: quia non sunt physicè in loco; neq; tamen consistit motus eorum in denominatione extrinseca. Unde meritò rejicit Suarez *disp. 51. sect. 4.* sententiam Cajetani *in 1. part. quest. 53. art. 1.* qui existimat. Angelum non esse subjectum motus, sed per operationem, & motionem alicujus corporis moveri vel sic tantùm denominari. Verùm hoc pacto vel solum corpus moveretur, vel ipse Angelus cum corpore, quod movet. Prius dicere absouum est. Sic enim reuera esset immutabilis in loco & quasi eidem affixus atq; aded per impropiam locutionem propter trajectionem & motionem cujusdam corporis moveri diceretur, veluti si quis arborem vel lapidem in flumine moveri dixerit. Posterius si assumatur & dicatur, Angelum cum corpore relinquere aliquem locum, ita ut motus recipiatur in corpore, id pariter haud recta procedet via. Licet enim retineat præsentiam ad illud corpus, quod movet & hoc respectu non mutetur, tamen amittit propinquitatem vel distantiam, quam habet respectu aliorum corporum, quæ non movet & sic verè in se ipso motum recipit & alium locum acquirit. Quare, quod reliquum est, motus hic est intrinseca & realis mutatio Angeli secundum præsentiam. Hæc de ubi.

30. Sequitur *duratio Angelica*: Durare autem quid dicitur æternitate, tempore ac ævo. Æternitas est duratio intrinsecè necessaria, perfectissima & omnino immutabilis, qualis non nisi infinito ac independenti principio tribui potest. Nam immutabile bonum non est nisi unus verus Deus, ut dicit Augustinus *lib. 12. de Civit. Dei cap. 1.* Angeli verò dependent ab illo immutabili ac æterno ente: Æterni igitur esse non possunt. Solet quidem æternum nonnunquam

quam id dici, quod non habet finem, & sic Angeli interdum æterni appellantur. Verùm hoc modo vocabulum illud in latiori significato sumitur: Propriè perfectissimam durationem & absolutam essendi necessitatem significat, atq; hoc pacto Deus, qui est suum esse, æternus est.

31. Deinde Angeli non durant tempore. Talis enim duratio iis rebus convenit, quæ naturaliter possunt deficere, hoc est, quarum interitus oritur ex causis intrinsicis naturalibus. Unde id omnino, quod natura sua est corruptibile, durat tempore: At verò Angeli sunt naturà incorruptibiles, ut communiter doctores exquisitis rationibus defendunt. Ergo tempore durare nequeunt.

32. Verùm ut rectius percipiatur, qua ratione Angeli sint incorruptibiles, advertendum est, incorruptibile aliquid bifariam dici. Denotat enim primò ejusmodi ens, quod nullo modo corrumpi potest, neq; secundum intrinsicam & naturalem neq; secundum extrinsecam & obedientialem potentiam; Secundo quod non potest interire secundam intrinsicam & naturalem potentiam tantum, quamvis quoad aliam externam potentiam corruptioni sit obnoxium. Priori modo Angeli non sunt incorruptibiles & hinc Patres docent Angelos non esse incorruptibiles per naturam, sed per gratiam *Damasien. lib. 2. Orth. fid. cap. 3. Augustinus de vera relig. c. 23. Dionys. lib. de divin. nom. cap. 6.* Nihilominus posteriori modo eos natura incorruptibiles rectè dicimus cum eodem Dionysio *l. c. cap. 4. statim in principio.*

33. Etenim naturaliter neq; per annihilationem neq; per corruptionem physicam destriui aut interire possunt. Prius patet: Quia annihilatio est solius Dei opus, qui per suspensionem influxus rem quandam destrere potest. Quare talis interitus per naturam & sine respectu ad divinam potentiam in Angelis locum non habet. Posterius confirmatur: Corruptitur enim quod compositum est per separationem actus à potentia, formæ à materia: At vero in re simplici, qualis est Angelus, ejusmodi separatio non reperitur. Corruptitur etiam, quod cum alio componit quandam

substantiam ad dissolutionem ipsius substantiæ, cum nempe extra illud compositum naturaliter conservari non possit. Verùm Angeli non componunt cum alio ente quandam substantiam. Ergo naturâ vel quoad principia intrinseca sunt incorruptibiles. Hanc rationem fusius pertractat Thomas 1. p. q. 50. art. 5.

34. Hinc jam manifestum est, Angelos durare ævo. Quod enim sic durare dicitur, potest habere initium, ita tamen ut ex se non habeat finem. Angelis verò non repugnat habere initium & latere in causa, cum potentiæ divinæ sint subiecti; præterea etiam sunt incorruptibiles atq; ex se deficere ac finem habere nequeunt.

35. Pergimus ad numerum Angelorum. Certum autem est ex scriptura sacra, magnam esse Angelorum multitudinem: Illamq; ipsis saltem non repugnare ratione naturali evinci potest. Nam Angelus non est suum esse vel ens absolutè necessarium, ut sæpe dictum fuit, sed ex actu & potentia compositum. Nullam autem implicat contradictionem ejusmodi ens multiplicari, cum ipsius essentia non involvat hoc vel illud dererminatum esse actuale. Sic ergo potest ea esse in potentia objectiva & alicui causæ subiecta, à qua possit multiplicari.

36. Quot verò actu sint Angeli in medio relinquimus, cum illud in hac vita scrutari nequeamus. Aristotelem si consulas, numerum intelligentiarum definitum invenies. Quemadmodum enim ex motu orbium cœlestium existentiam, sic ex eorundem numero numerum intelligentiarum colligit, præter quas putat nullam esse possibilem 12. *Metaphys. cap. 8.* Sed quæ fodes ratio convincet, non posse intelligentias esse, nisi orbis moveant? vel quod argumentum suadebit, orbibus singulis singulas adhærere intelligentias?

37. Thomas 1. p. q. 50. art. 3. cum retulisset sententiam Dionysii cœlest. *Hierarch. cap. 9.* ex parte determinat numerum Angelorum. Censet enim, cum longissimè excedere numerum rerum materialium; idq; probat hac ratione: Quia perfectionem universi præcipuè Deus intendit: Unde quantò res quædam sunt perfectio-

res,

res, in tantò majori numero sunt creatæ. Angeli verò sunt aliis re-
bus longè perfectiores. Verùm hæc ratio non solido nititur fun-
damento, ut ex supra dictis constat. Voluntas enim divina non
est adstricta ad hujus universi perfectionem. Satiùs igitur est
abstinere se à numero, quem non homo, sed is numeravit, qui An-
gelos condidit.

38. Superest *distinctio* Angelorum, quam facere solent tri-
plicem, accidentalem specificam & numericam. Accidentaliter
Angelos distingui, sacra scriptura probat, dum alios bonos, alios
malos esse docet: Et sane gentiles itidem demones in bonos &
malos distinguere noverunt, ut patet ex comment. Marf. Ficini in
lib. 5. Ennead. 3. Plotini. Idem ostendit August. *lib. 9. de Civ. Dei*
cap. 1. ac Ludov. Viv. ibid. Putarunt enim alios esse superbos &
immundos, qui sæpe sub prætextu bonorum fallerent; alios bo-
nos, qui mortalibus beneficerent. Quicquid sit, ratio non deest,
quæ ostendat, saltem hoc non involvere repugnantiam, si dicatur,
Angelos ratione accidentium distingui: Quia in ipsis est potentia
passiva ad diversa accidentia suscipienda, cum sint finitæ perfectio-
nis. Quare, quin alii aliis perfectiora habere possint accidentia
& sic accidentaliter distingui, nullum est dubium.

39. Specie differre dicuntur, quæ non solum numerica, sed
& essentiali & specifica differentia ab aliis distinguuntur. Puta-
runt nonnulli, Angelos tantum numero distingui, non specie.
Sed nulla ratio probabilis pro hac sententia militat: Quia non re-
pugnat naturæ Angelicæ multiplicatio specierum, Tamen enim
omnes sunt intellectuales & in hoc conceptu conveniunt, tamen
possunt illum participare secundum diversos modos essendi, quod
maximè quoad potentiam Dei non est impossibile.

40. Numero distingui Angelos inter omnes constat, sed
quod intra eandem speciem infimam sint multi numero differen-
tes, non solum bene multi negantur, verùm etiam id fieri non
posse docuerunt. Hujus sententiæ est Thomas 1. p. q. 50. art. 4.
cum sectatoribus suis. Ratio illius est: Quia opinatur eas res
solum

Solum multiplicari numero intra eandem speciem, quæ conveniunt
in forma, distinguuntur autem materia atq; sic compositionem ex
materia & forma admittunt : Quam rationem frivolam merito
appellat Hurtadus *disp. 12. f. 3. §. 13.* & ejusdem imbecillitatem
agnoscit ipse Fr. Ferratiensis Thomæ *comment. 1. 2. cont. gent.
cap. 93.*

41. Etenim Angeli ad sui individualem multiplicationem
nihil ulterius requirunt, quam simplicem suam entitatem, quæ
existunt & ab aliis rebus distinguuntur : Idq; inde satis constat,
quod licet singuli peculiarem constituerent speciem, nihilominus
distinguerentur numero intra diversas species, nec tamen ad nu-
mericam illam distinctionem ullam poscerent materiam. Porro Deus
potest Angelos facere æquales in potentia, perfectione intellectu
ac omnibus essentialibus attributis : Ergo duo Angeli possunt esse
sub una specie. Antecedens patet : Quia talia prædicata in mul-
tis Angelis esse nullam implicat contradictionem neq; limitanda
est hac in parte potentia divina, præsertim cum nulla id requirat
necessitas ; quod non immerito etiam urget Scotus *in 2. sent. dist.
3. quest. 7.* Cæterum actum sic distinguantur Angeli, an solum
potentia, haud determinare possumus. Desit oratio, deficiunt
vires ingenii humani ut in rerum tam sublimium cognitionem
altius assurgere nequeat. Quantum vero asseri
possumus, strictim proposuisse
sufficiat.

Soli sapienti Deo gloria.



quam id dici, quod non habet finem, & sic Angel
appellantur. Verum hoc modo vocabulum illud
catu sumitur : Proprie perfectissimam durationem
sendi necessitatem significat, atq; hoc pacto Deus,
aeternus est.

31. Deinde Angeli non durant tempore. T
iis rebus convenit, quæ naturaliter possunt deficere
interitus oritur ex causis intrinsicis naturalibus.
quod natura sua est corruptibile, durat tempore : A
naturâ incorruptibiles, ut communiter doctores ex
defendunt. Ergo tempore durare nequeunt.

32. Verum ut rectius percipiatur, qua rati
incorruptibiles, advertendum est, incorruptibile a
dici. Denotat enim primò ejusmodi ens, quod
rumpi potest, neq; secundum intrinsicam & natu
dum extrinsecam & obedientialem potentiam ; S
potest interire secundam intrinsicam & natura
tùm, quamvis quoad aliam externam potentiam co
noxium. Priori modo Angeli non sunt incorrupt
tres docent Angelos non esse incorruptibiles per
gratiam *Damascen. lib. 2. Orth. fid. cap. 3. Augustinus*
Dionys. lib. de divin. nom. cap. 6. Nihilominus pot
natura incorruptibiles rectè dicimus cum eodem
cap. 4. statim in principio.

33. Etenim naturaliter neq; per annihilatio
ruptionem physicam destrui aut interire possunt.
Quia annihilatio est solius Dei opus, qui per susce
rem quandam destrere potest. Quare talis inter
& sine respectu ad divinam potentiam in Angeli
bet. Posterius confirmatur : Corruptitur eni
tum est per separationem actus à potentia, formæ
vero in re simplici, qualis est Angelus, ejusmodi
peritur. Corruptitur etiam, quod cum alio co

B 3

